



SOMNIUM SCIPIONIS

EX LIBRO SEXTO CICERONIS DE REPUBLICA EXCERPTVM.

A VM IN AFRICAM VENISSEM, ANNIO MANLIO CONSULE ad quartam legionem tribunus, ut scitis, militum, nihil mihi potius fuit, quam ut Masinissam conuenirem regem, familiae nostrae iustis de causis amicissimum. Ad quem ut ueni, complexus me senex, collachrymauit: aliquanto post suspexit ad caelum, & grates, inquit, tibi ago summe Sol, uobisque reliqui coelites, quod antequam ex hac uita migro, conspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine recreor ipso. Itaque nunquam ex animo meo discedit illius optimi atque inuictissimi uiri memoria. Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra repu. percontatus est: multisque uerbis ultro citroque habitis, ille nobis consumptus est dies. Post autem regio apparatus accepti, sermonem in multam noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaque eius non facta solum, sed etiam dicta meminisset. Deinde ut cubitum discessimus, me & defessum uia, & qui ad multam noctem uigilassem, arctior quam solebat somnus complexus est. Hic mihi (credo equidem ex hoc quod eramus locuti: sit enim saepe ferè, ut cogitationes sermonesque nostri pariatur aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo uidelicet saepissime uigilans solebat cogitare & loqui) Africanus se ostendit, ea forma, quae mihi ex imagine eius quam ex ipso notior erat. Quae ut agnoui, equidem cohorrui. Sed ille, ades inquit animo, & omitte timorem Scipio: & quae dicam, memoriae trade. Videtur ne illam urbem, quae parere Po. Ro. coacta per me, renouat pristina bella, nec potest quiescere? (Ostendebat autem Carthaginem, de excelso & pleno stellarum illustri & claro quodam loco) ad quam tu **D** oppugnandam nunc uenis penè miles. Hanc hoc biennio consul euerteris, eritque cognomen hoc tibi per te partum, quod habes adhuc haereditarium à nobis. Cum autem Carthaginem deleueris, triumphum egeris, censorque fueris, & obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, delegere iterum consul absens, bellum maximum conficies, Numantiam excindes. Sed cum eris curru Capitolium inuectus, offendet remp. perturbatam consilij nepotis mei. Hic tu Africanae ostendas oportebit patriae lumen animi, ingenij, consilijque tui. Sed eius temporis ancipitem uideo quasi fatorum uiam. Nam cum aetas tua septenos octies solis anfractus reductusque conuerterit, duoque hi numeri (quorum uterque plenus, alter altera de causa habet) circuitu naturali, summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque in tuum nomen se tota conuertet ciuitas. Te senatus, te omnes boni, te socij, te Latini intuebuntur. Tu eris unus, in quo nitatur

ein oberster Hauptmann

a ciui-